

columna, quatuor nimirum cubitorum, ut diximus supra, tantum enim habuit profunditatis columna, quam duodecim cubitorum cingebatur linea.

CONTRA RETIACULA. Ex adverso retiaculorum, quia mutuo se respiciebant vel situ, vel sculpturae ordine, quia sic erant in inferiori illo capitello ornamenta disposita, ut per reticulati capitelli fenestras spectari possent, seu ad illum modum, quo partes ejus, quod in loco est, loci partibus singulae correspondere solent. Sunt autem retiacula septem illi ordines, seu versus, qui annulato, seu laqueato opere conserti sunt, qui interius capitellum circumdant et cohibent, quique quinos habent longitudinis cubitos.

MALOGRANATORUM AUTEM DUCENTI ORDINES ERANT IN CIRCUITU CAPITELLI SECUNDI. Capitellum secundum idem est quod reticulatum: in duobus autem ordinibus, seu versibus, qui unum in suo capitello cubitum implebant, erant ducentae areolae, vel annuli, in quibus totidem pendebant malogranata; cumque duo essent retiaculorum versus in singulis, erant malogranata centum, atque ideo in quolibet capitello duarum columnarum ducenta, et in duobus simul quadringenta, de quibus infra v. 42: *Duos versus malogranatorum in retiaculis singulis*, et Jerem. c. 5, v. 23: *Omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur*, id est, centena quaeque malogranata, quot videlicet erant in quolibet ordine, seu versu; *retiaculis*, id est, retiaculorum annulis, seu fenestellis, clauderentur. Quo modo etiam, l. 2 Paral. c. 3, v. 16, centena malogranata catenulis, id est, catenularum annulis dicuntur interposita, quia medios illarum annulos implebant. *Malogranata etiam centum, quae catenulis interposuit.*

VERS. 21. — ET STATUIT DUAS COLUMNAS IN PORTICU TEMPLI (1). Locum designat, pro quo exornando duae illae egregiae, et mirae varietate

(1) S. Hieronymus, Beda, Eucherius et Angelom.: Columnae, inquit, sunt Apostoli et doctores, quia contemplatione ad superna sunt erecti, ac fortes fide et opere. Sunt duae, quia Judaeos et gentiles fulciunt. Sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est, in caelum inducant. Rursum sunt duae ita dispositae, ut nobis in prosperis et adversis ingressum patriae caelestis ante oculos mentis jugiter habendum esse doceant, ut nec adversis deficiamus, nec prosperis extollamur, sed inter utraque constantes in fide et virtute ad caelum tendamus. Ita auctores citati. Linea 12 cubitorum, ait Beda, nomina est apostolorum institutionis. Columnae capitellum imponitur,

constructae moles destinatae sunt. Templi enim porticus, sive vestibulum, quae a laicis etiam hominibus videri poterat, sua pulchritudine ostendebat illis, quibus domus Dei interiora videre non erat a lege et consuetudine concessum, qualisnam interioribus inesset pulchritudo, qualis ars et pretium. Tanta porro erat columnarum majestas, ut non uno in loco a Scriptura sacra, sed multis sint accuratè descriptae. Nomina autem illarum satis explicant, quanta earum fuerit fortitudo, et firmitas. Dextera enim vocata fuit Jachim, quasi fundata, seu firmata ad stabilitatem; altera Booz quasi in ipsa sit fortitudo.

VERS. 22. — ET SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM LILII (1). Hic nihil aliud intel-

quia qui perseveraverit usque ad finem, et legitime certaverit, coronabitur, sicut ait Apostolus; nam qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. Altitudo capitelli quinque cubitorum est, quia corona pro quinque sensuum voluptatibus animosè contemptis atque superatis redditur. Fascia cingens capitellum beatitudo est, quam theologi accidentalem vocant; septies illud cingit, quia plurimis ex rebus haec beatitudo oritur, et multae sunt causae gaudendi, septem enim pro multis ponitur.

Insuper quilibet sancti in fide eminentes virtute columnae sunt; aeneae, propter firmitatem in bonis operibus; erectae, per intentionem; altae, per contemplationem; striatae, seu excavatae, per mortificationem; quae pravas appetitiones coeherent, et sese per carnis macerationem extenuant, quae excavatio potest etiam ad humilitatem referri. Secundò, duo capitella duo sunt testamenta, quorum meditationi et observationi doctores sancti et animo subduntur et corpore. Tertio, species catenarum et similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis. Quarto, malogranata ducenta magnam et multiplicem eorum charitatem, unionem, concordiam, zelum significant. Quintò, capitella in florem lilii desinebant: quid enim per lilium nisi aeterna felicitas et immortalitatis floribus redolens amoenitas designatur, in quam sancti omnes tandem desinunt, eandemque cum aliis praedicant, quasi in summo ostentant et promerendam proponunt? Ita Angelom. et Beda. (Corn. à Lap.)

(1) Quasi diceret: Toti operi columnarum et capitellorum quasi coronidem imposuit lilium, sive formam lilii ex eodem aere fabricati, tum ut decorem templi ostenderet, tum ut ejus florem a Deo postularèt, ut scilicet in eo floreret pietas et Dei cultus purus et castus. Lilium enim puritatis et virginitatis est symbolum, aequè ac gloriosae resurrectionis Christi et sanctorum, juxta illud quod martyribus accinit Ecclesia in officio ecclesiastico: *Sanctorum velut aquilae juvenas renovabitur, et florebit sicut lilium in civitate Domini*; et tempore Paschali: *Sacri tui, Domine, florebit sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te, alleluia*. Et illud sponsi: *Ego flos campi et lilium convallium,*

lilo, quam toti columnarum fabricae additam esse coronidem. Haec autem fuit lilii figura, sive in vasculo aliquo, ut nunc in lautiorum domorum fastigiis fieri videmus: sive certè flos ipse nudus, quasi ex ipso pallulet columnae fastigio, et hoc fortassè potius. Utrumque sacer ipse textus admittit, utrumque probabile: neque multum interest hocne, an illo modo capias.

VERS. 23. — FECIT QUOQUE MARE FUSILE (1) DECEM CUBITORUM A LABIO USQUE AD LABIUM. POR-

Cantic. 2, v. 1. Vide ibi dicta; et Eccles. 59, 19; et Osee 14, 6, ubi multa de symbolis liliorum dixi. Salomon ergo lilium imponens templo, praesentavit Christi. B. Virgilius, et sanctorum puritatem, splendorem, felicitatem et gloriam aeternam; templum enim fuit figura caeli, ac caelestis conversationis resurrectionis et gloriae.

Tropolog., quilibet fidelis et sanctus indiget columnâ duplici, ut fiat templum Dei, scilicet Jachim, id est, prudenti rectaque directione ad decernendum id quod agendum est; et Booz, id est, fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim praet quasi lux, viam virtutis et sanctitatis ostendens, unde dexteram occupat; fortitudo verò sequitur quasi sinistra, ut id quod prudentia faciendum ostendit, fortiter in opus conferat. Utraque est opus Salomonis, id est, Christi; quare ab eo supplicibus et assiduis precibus cuilibet est flagitanda. Neutra enim sola sufficit, sed si utraque jungatur, omnia perficit, omnia superat, hominemque ad culmen sanctitatis et in caelum elevat: Spiritus sanctus enim nos dirigere debet in viam salutis, ac deinde roborare, ut eam per tot hostes, tentationes, difficultates constanter prosequamur. Unde Salomon Prov. 3, 6: *In omnibus viis tuis, inquit, cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*. Et parens ejus David erebrò in Psalmis id ipsum postulat, ut Psalm. 118, v. 5: *Utiam dirigatur via mea ad custodiendas justificationes tuas!* Et v. 135: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum* Psalm. 26, v. 11: *Dirige me in semitam rectam*. Psalm. 89, 17: *Opus manuum nostrarum dirige*. Ad Josue verò ait Deus cap. 1, v. 6, 7 et 9: *Confortare, et esto robustus ad debellandos Chanaanos: noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecumque perrexeris*. Et ad David: *Brachium meum confortabit eum*. Psalm. 88, 22. (Corn. à Lap.)

(1) Mare hoc erat in atrio sacerdotum, juxta altare holocaustorum, ac respondebat labro aeneo, quod Moyses fecit ex speculis mulierum in tabernaculo, Exodi 30, 18, ubi ostendi labrum hoc aequè ac mare non tam representasse baptismum, ut volunt Eucherius et Angelomus (erat enim labrum hoc aequè ac mare non ante atrium, sed in ipso atrio), quam poenitentiam, quae fidelibus praemittenda est sacrificio et sacramento Eucharistiae, ut docet S. Gregor. homil. 47 in Evangel., ac Beda l. 3 de Tabernac. c. ult. Vide Riberam singula applicantem, lib. 2 de Templo, cap. 17. Concha haec vasta et plena aquis, ideoque vocata mare, significat amaram et magnam debere esse contritionem

ticus, seu vestibulum templi proximum erat sacerdotali atrio, atque ideo statim, atque de domo Dei, ac porticu actum est, ad atrium sacerdotale progreditur historia. In quo pro sacrificiorum ministerio varia conflata sunt instrumenta, et vasa. Primum describitur vas quoddam ingens, quod quia ex aere totum in magnam amplitudinem conflatum est, dictum est mare aeneum. Quod sic est ab historico sacro descriptum luculenter et clarè, ut non magnoperè interpretis operam desideret. Quare de figurâ illius parè agemus; de materia habemus 2 Reg. cap. 8: *De Bete et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David aes multum nimis, de quo fecit Salomon omnia vasa aerea in templo, et mare aeneum, et columnas, et altare*. Quod aëris genus majori, quam aurum habitum fuisse in pretio, docet Josephus l. 7 Antiq. c. 8, quâ id fide tradat, ipse viderit. Sanè ipse videre non potuit aeneum illud mare, quod Chaldaei multò ante sustulerant, confrangerantque.

Fuerat autem in Moysis tabernaculo pro mari hoc aeneo labrum ex aere. Exod. 48, v. 8: *Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi*. De hoc labro, deque his speculis varia est interpretum cogitatio; quidam putant ex ipsis speculis, aëris nimirum, conflatum esse labrum. Nam ex aere specula fieri, et docet Plinius l. 35, c. 9, et l. 34, c. 17, et nos etiam videmus. Cum igitur feminae omnem ambitiosi cultus curam abjecissent, quia magis de colendo Deo, quam de colendâ facie laborabant, specula sua dicarunt Deo, quia illum et illius legem pro speculo habere voluerunt, ut ex illis conflaretur illud labrum, quod sacerdotes purificaret, et sacra. Sicut olim fecere Israelitides feminae, quae libenter aureis se spoliavere deliciis, ut ex illis aureis formaretur vitulus, cui divinos postea honores impenderent, Exod. 32. Sic etiam nunc feminae meliore mente specula Deo ad pium illud ministerium conflant, id nempè, quod antea forsitan magis illis erat in pretio. Sed alio fortassè modo labrum illud ex feminarum speculis conflatum est aeneum. Est hoc valdè verisimile, bonas illas feminas vendidisse specula, et ad labri illius piam fabricam pretium illorum contulisse; sicut alii sub id tempus ad sacram

et poenitentiam peccatoris, quae flumina lacrymarum, si non ex oculis, certè ex corde profundat, juxta illud: *Magna est velut mare contritio tua*. Thren. 2, 13. (Corn. à Lap.)

tabernaculi suppellectilem pro suâ quique facultate contulerunt. De quibus Exod. 5. v. 21: *Quidquid ad cultum, et ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus praeberunt, armillas, et inanes, annulos et dexteralia, omne vas aureum in donaria Domini separatim est.*

Usus illius labri, et postea maris ænei, fuit qui Exod. c. 30, v. 19, proponitur: *Et missâ aquâ, lavabant in eo Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Ubi Latinus in eo, Hebr. est *mimenu*, id est, ex eo, ut frequentes aliæ translationes habent. Neque enim decebat, ut in vas illud, quod mundum maximè esse oportebat, immitterentur pedes. Educebatur igitur à labro aqua per fistulam, quæ in sacerdotum manus ac pedes defluebat. Ex quo optimè inferitur nudos sacerdotes habuisse pedes, cum ingrederentur tabernaculum. Quid enim pedes abluerent, si inducenda postea forent calea-menta?

De magnitudine atque figurâ illud tantum dicam, diametrum, id est, lineam, quæ quod est spatii inter utrumque labium dimetitur, decem esse cubitorum, ex quo sequitur ambitum, qui diametrum triplicat, cubitos habuisse triginta, neque planum esse, aut acutum labium, sed incurvatum modicè atque repandum, ad lili similitudinem, cujus se folia molliter inflectunt. Altitudo illius sive profunditas quinque patebat cubitis. Porrò inter labia et funiculum, sive resticulam, quæ tam erat longa, ut totum illud mare circumdaret (erat enim cubitorum triginta, quantus erat in eo mari circuitus), erant duo ordines anaglyphorum, qui in eo genere sculpturæ exornabant mare, quo domus Dei parietes ornatos esse diximus. Qui tamen non totum ambiabant mare, sed decem cubitos, tertiam scilicet illius partem, quod hic significatur apertè, et explicatur magis l. 2 Paral. c. 4, v. 3: *Funiculus triginta cubitorum ambiabat gyrum epis. Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cæluturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant.* Ex quibus verbis constat ad alvum usque duos illos anaglyphorum ordines esse protensos, et resticulam, sive funiculum, de quo supra, per medium ipsum ænei maris alvum, seu ventrem esse circumductum. In duobus autem anaglyphorum ordinibus, inter alia plurima sculpturæ signa atque emble-

mata, boum quoque erant expressa signa, ab illis omninò bobus diversa, quæ subtus totam maris molem sustinere finguntur. Illi porrò boves, quorum humeris vastum illud pondus insidere fingitur, numero erant duodecim, quorum terni quique facies ad quatuor mundi regiones habuere conversas. Crassitudo vasis trium erat unciarum, seu, ut habes l. 2 Paral., unius palmi. Labium erat ad modum lili repandi, quomodo nuper exposuimus. Hæc mihi maris ænei descriptio non est visa difficilis alii pluribus et fortassè multò meliùs. Tu illos, si plus habes curiosi otii, consule. Mihi, qui hinc quoquomodo emigrare studeo, plus fortassè operæ sumpsisse video. Illi porrò ordines decem, qui variis excolebantur cælaturis, ideò, ut arbitror, tertiam tantum maris occupabant partem, id est, decem cubitos, quia illi solùm è totâ mole videri poterant, quia spectabant aream sacerdotalis atrii; alia verò, quia spectabant introitus, neque erant objecta aliorum oculis, non indigebant variâ illâ atque eleganti cælaturâ. (1)

(1) VERS. 24. — ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT ILLUD DECEM CUBITIS AMBIENS MARE. Quomodo id concilietur cum latitudine diametri triginta cubitorum hujusce vasis? Varii varia in eam rem conieciuntur. Sunt qui reddant textum: *Fecit mari huic quod habebat decem cubitos diametri, cælaturas.* Censent alii, ornamenta hæc totum vas perpetuo ductu, à supremo vertice usque ad infimum, non ambiisse, sed tantum ab imo usque ad locum, ubi contrahabatur ad latitudinem decem cubitorum. Alii denique ita Hebræum vertunt: *Posuit poma, vel colocynthidas, subter labium, quæ ambiabant illud circum.* Erant decem poma intra spatium unius cubiti. Posterior hæc interpretatio litteræ magis hæere videtur. Erat igitur ornamentum perpetuum constans ex trecentis pomis vel colocynthidibus; non enim satis convenit de significatione vocis *phekahim*. Redditur, *poma colocynthidæ, vel cucurbitæ sylvestris, sphaerulæ, genus quoddam ovorum, vel poma; figuræ denique sphaericæ rotundæ.* In Paralipomenis non obscure proditur, ornamenta hæc figuram boum exhibuisse, quod in sequenti articulo expendetur.

DUO ORDINES SCULPTURARUM STRIATARUM ERANT FUSILES. Ornamenta hæc, de quibus hucusque, quæque fortassè pomorum imaginem anaglyphico opere referebant, et capita boum, distributa alterno ordine subter labium, ejusdem erant metalli et operis ac reliquum vas unâ scilicet cum illo conflata. Cæterum dissimulandum non est, si bovis caput alternatim et pomum sub labio vasis constituantur, agrè admodum decem è singulis collocari intra breve spatium decem cubitorum posse. Præstat itaque Hebræum *phekahim* exponere de ornamentis utriusque, quæ id generis operibus addi solebant; in Paralipomenis verò designari accuratius quæ potissimum ornamenta illa

VERS. 27. — ET FECIT DECEM VASES ÆNEOS. Aliud jam opus aggreditur præcedenti proximè non admodum dissimile: cum enim Deus tam in sacrificiis, quam in sacerdotibus munditiam

fuert, indicatis bobus vel capitibus boum, nisi fortè nomen *phekahim* corruptam esse vocem malueris, quæ irreperit in textum pro *bekahim*, quod boves sonat. (Calmet.)

VERS. 25. — SUPER DUODECIM BOVES. Sustentabatur mare basi suâ, quam nos cavam constitimus. Boves, de quibus hic, additi erant tantum ad ornamentum, utque tergo suo vastissimum hæc aquarum receptaculum sustinerent. Ex interpretibus quidam docent, insertos fuisse ori boum syphunculos, unde in varios sacerdotum usus aqua educeretur; id verò incertissimum est. Crediderim potius, aquam delatam esse in labia è pede vasis, ea verò labia aquam obtulisse sacerdotibus, quæ manus pedesque abluerent. Josephus et Hebræi accusant Salomonem criminis in legem, quod taurus hosce mari æneo subdiderit, atque hinc initium ejus à religione defectionis ducunt, permittente Numine, ut deinceps etiam leonibus solium ornaret, ac denique templum numinibus profanis palam Jerosolymis dedicârit. Sed figuras hæc boum Salomoni nunquam exprobrat Scriptura; atque ita Deus excepit oblationes precesque Salomonis in dedicatione templi, ut satis demonstrârit, muneri illum suo nihil defuisse, neque à Numinis amicitia vel minimum excidisse. (Calmet.)

Allegor. duodecim boves sunt duodecim Apostoli, qui jussu Christi fidem et pœnitentiam per omnes mundi plagas prædicârunt. (Corn. à Lap.)

VERS. 26. — GROSSITUDO LUTERIS TRIUM UNCIARUM ERAT. Tres unctæ æquant quartam pedis Romani partem; cum autem pes Romanus mensura sit digitorum sexdecim, tres unctæ reddunt quatuor digitos, vel palmum, quæ genuina est significatio vocis Hebrææ *פֶּחָאִים* *tephach*. Id autem ad nostras mensuras redactum conficeret tres pollices, et 37/49.

QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII. Hæc erat figura labii maris ænei; expandebatur, atque exterius leniter sese fundebat. Censuit Chaldaeus, labium habuisse liliis ornatum. Hebræus legit: *Labium ejus secundum opus labii calicis floris lili.* (Calmet.)

Mysticè, Eucherius et Angelomus: « Per labium calicis, inquit, gustas Dominicæ passionis, per folium repandi lili patefacta claritas resurrectionis ipsius exprimitur. » Utræque enim in lavacro baptismi et pœnitentiæ abluimur. Nam, ut ait Eucherius, « Christus, qui ante passionem quidem suam quasi clausum adhuc lilium fuit, cum signis miraculorum quæ fecit clarus homo refuisit, post resurrectionem verò et ascensionem suam repandum se lilium supernæ patriæ civibus exhibuit, quòd in assumptâ humanitate potentiam divinæ claritatis, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, ostendit. » Unde in amoris Cantico lili se vocabulo designare voluit dicens: *Ego flos campi et lilium convallium.* Labium ergo maris in quo sacerdotes lavabantur, quasi labium fuit calicis, et folium repandi lili, quia lavacrum

desideret, non solum æneum esse voluit mare, quod sacerdotes, sed etiam luteres, qui victimas abluabant. Quare decem voluit esse luteres, qui 2 Paralip. cap. 4, vocantur *conchæ*. Qui, ut ipsum nomen non obscurè docet, ita tam habuere formam, magis quam profundam, quales in phialis videmus, quarum bases fuerunt longè pulcherrimæ, in quibus describendis multus est historicus sacer, quorum latitudo et longitudo omninò æquales erant: quatuor enim habuerunt cubitos: altitudo verò uno minor cubito. Hæc quod ad magnitudinem attinet.

VERS. 28. — ET IPSUM OPUS BASIUM INTERRASILE ERAT, ET SCULPTURÆ INTER JUNCTURAS. Ornatum jam aggreditur, et anaglyphen; opus illud dicitur *interrasile*, quod ita sculptum est, ut aliquid in eo planum sit et rasum, et inter ea quæ ejusmodi sunt, aliqua emineant cælatæ rerum formæ; veluti si in tabulâ, seu abaco emblemata, aut liliatum exprimat opus, in quibus vides aliquid planum de tabulâ, et aliquid asperum artificis cælo elaboratum. Plinius hoc opus suo tempore in marmore vidit, et reprehendit lib. 35, c. 1: *Interrasio marmore vermiculatis ad effigies rerum, et animalium crustis*; et l. 12, c. 19, coronas dicit auro rasili inclusas: coronæ autem sunt ornamenta illa, maximè ex florum imaginibus, quæ extant è plano. At ergo in aureis tabulis coronas fuisse è cinnamomo inclusas. Erant igitur in basium frontibus quidam abaci, seu tabulæ. Hispani *tableros*, aut *entrepamos* appellant, inter juncturas, seu clausuras, quas non commodè limbos appelles; Hispanè *guarniciones*. In quibus opere interrasili sic exprimuntur variæ rerum imagines, ut tabulæ ipsæ certis quibusdam intervallis appareant. Erant autem expressæ leonum, boum et cherubinorum effigies, quas juncturæ, id est, limbi quidam sic cludebant, continebantque, quasi aliquid unum cum ipsis esse viderentur.

VERS. 29. — ET INTER CORONULAS, ET PLECTAS, LEONES, ET BOVES, ET CHERUBIN. Coronæ dicitur illæ quasi fasciæ, et limbi, quæ abacos concludunt, et continent, quæ plectæ etiam vocari possunt, cum variis aut intextunt floribus, aut lineis, et loris laqueantur, quales videntur fuisse illæ, quibus Machabæi faciem

salutare quo membra summi sacerdotis effimur, in fide nos sacrosanctæ passionis ejus peccatorum omnium labe purificat, ac purificatos ad visionem gloriæ ipsius perennis intromittit. » (Corn. à Lap.)

ornaverunt templi, quam hostes antea deformarant. Machab. 1, c. 4, v. 57: *Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et scutulis.* Sunt autem plectæ restes quædam, seu fasciæ à palmâ, seu junco, aut sparto contextæ, aut ex aliâ quavis vili materiâ, ex quibus canistra, aut sportæ aut similia vasa conficiuntur, à verbo *πλέκω*, quod *necto* significat, et *plico*. Unde Græci *πλεκτὴν στέφανον* interpretantur, id est, catenam. Hispani *pleitas* dicunt. Erunt igitur hoc loco plectæ coronæ ex variis consertæ floribus, atque herbis, qui in illustribus domûs, atque operis alicujus partibus exprimentur, quas Latini plexas dicunt, seu nexas coronas, aut sutiles, seu nexiles flores. Plectarum meminit Cassianus collat. 18, cap. 15, quas ab Ægyptiis *siras* vocari tradit.

ET IN JUNCTURIS SIMILITER DESUPER. Sicut in tabulis mediis leones erant, et boves, et cherubin, sic etiam in juncturis, id est, in fasciis illis, aut limbis, quæ medias tabulas, seu abacos clauderant, sua quoque spectabantur ornamenta, leones nimirum, boves et cherubin. Ex eo verò loco, ubi illa viscebantur emblemata, nimirum ex mediâ tabulâ, fasciæ quædam demittebantur ac teniæ, in lori similitudinem, sicut alia omnia ex ære conflata. Sic enim explicio illud: *Et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia.* Leones autem, et boves, cum sint tam in tabulâ mediâ quàm in superiori fasciâ, utriusque, non repugnante textu, subesse videri possunt dependentia lora. Superioribus quidem, quia pars illa extrema sic ornatur dependentibus loris, sicut fasciæ nunc in pretiosis stragulis, aureis leonibus, aut aliis speciosis floccis fimbriantur; et hoc mihi potius. Si autem mediis bobus et leonibus subsint, lora pro juncturis sunt, quia lori hoc proprium est, ut liget et vinciat. Dicuntur autem dependere, aut descendere, quia id proprium est eorum, quæ inferiorem obtinent locum. Neque hæc mihi explicatio displicet; minus tamen superior.

VERS. 30. — ET QUATUOR ROTÆ PER BASES SINGULAS, ET AXES ÆREI. Sicut æneo mari suppositi boves ingentem illam molem sustinere videbantur, sic nunc his basibus, atque lateribus rotæ subjiciuntur ex ære cum suis axibus ex eadem materiâ, quasi luteris illi impositi sicut plastro, cui similes videri possunt illæ quæ dicuntur bases, quibus proximè insident luteræ seu conchæ, de quibus statim.

ET PER QUATUOR PARTES QUASI HUMERULI SUBTER LUTEREM FUSILES, CONTRA SE INVICEM RESPECTAN-

TES. Ex quatuor angulis prominentiæ quædam attollebantur, quasi columellæ, in quas impositæ supra conchæ, seu luteræ incumberent, quas nunc scriptor sacer humerulos vocat. Quia sicut humeri ferendis oneribus, sic illæ eminentiæ erant sustinendis luteribus idoneæ. Hæc autem erant ex ære fusili, quæ se vicissim respectabant, id est, quæ aliis aliæ directè opponerentur altrinsecus. Josephus lib. 8, cap. 2: *Angulos autem supernè continebant fusiles humeri manuum extensarum.* His imposita erat spirâ, cui labrum inserebatur, ita ut manibus sustineri videretur. Quæ parte effigies leonum et aquilarum sic erant adaptatæ, ut connatas putares, intervenientibus inter eas palmarum arbusculis.

VERS. 31. — OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS ERAT IN CAPITIS SUMMITATE. Erat in summâ basi sinus quidam, et cavitas, quam luter impositus impleret, quem non malè videtur descripsisse proximè Josephus, in spirâ, seu circulo, qui non aliter excipit et includit luterem, quàm pala gemmam. Hanc iterum v. 35 ita describit: *In summitate basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti ita fabrefacta, ut luter desuper possit imponi.* Cum autem luter altitudinis haberet cubitum et dimidium, dimidius cubitus in eâ cavitate includebatur et latebat, et cubitus unus eminebat à sinu, et extabat extrorsus.

IN ANGULIS AUTEM COLUMNARUM VARIE CÆLATURÆ ERANT, ET MEDIA INTERCOLUMNIA QUADRATA, NON ROTUNDA. Proximè est luterem rotundam habuisse speciem, neque dubium, quin sinus, qui illum excipiebat, rotundam quoque figuram habuerit; nihilominus spatium illud, quod erat inter columnas, seu humerulos, in quos luter videbatur incumbere, non erat rotundum, sed quadratum, et tam columnas ipsas, quàm intercolumnia, id est, spatia columnis intercepta, variis erant cælaturis illustrata. Ego hæc accipio de spatiis, quæ humeruli, seu columnæ media complectuntur, quæ nos appellare possemus tabulas, aut abacos, sicut illa, quæ nuper cælata diximus, boum, et cherubinarum effigies. Hæc autem aliquid additur, quod sanè in aliis tabulis non videbatur omittendum; neque illud adhibetur quod in superioribus tabulis erat expressum, quod si hic quoque foret expressum, scriptor sacer non tacuisset. Ait enim infra, v. 36, tam in angulis quàm in tabulâ mediâ, præter cherubin et leones, et palmas novo quodam artificio ac modo fuisse efformatas. Nam cherubin

(de his enim hæc tantum accipio, licet in alia omnia non incommode caderent) in similitudinem stantis hominis sic effinguntur, ut non conjuncti tabulæ, sed ab illâ prorsus separati videantur.

VERS. 32. — QUATUOR QUOQUE ROTÆ. Rotæ illæ, de quibus supra, ad quatuor angulos basis infimæ suberant, quibus erat semicubitalis altitudo. Hæc porrò dicuntur sibi cohærere, non quia seipsas mutuò contingerent, quia id omninò foret et indecorum, et contra rotarum naturam, quas ars debuit exprimere, cum conjunctæ rotæ convolvi non possent circulari motu, sed quia, juxta Hebraici sermonis proprietatem, illud sibi paragogicum est, neque aliquid addit ad significationem. Quo modo dicimus: *Veni tibi, surge tibi*, et similia, quæ nihil valent aliud, quàm, *veni*, et *surge*. Vide quæ diximus in nostris commentariis super Cantica ad illud c. 1: *Si ignoras te.* Cohærebant itaque super basim rotæ, id est, erant basi ipsi conjunctæ, ita ut cum basi corpus unum efficerent, et cum expressam haberent ad vivum rotarum formam, ita ut non facillè discerneres à veris, cum suis modiolis, et canthis, et alio quavis ad volubilem motum apparatu; moveri tamen non poterant, quia alligatæ et quasi connatæ basibus, et eum illis simul ex eodem ære, atque opere conflatæ. Cætera ad v. 37 jam à nobis explicata sunt. (1)

(1) VERS. 33. — TALES AUTEM ERANT ROTÆ, QUOD: Tales erant rotæ basium, ut viderentur posse rotari et moveri, cum reipsa essent fixæ, nec rotari possent; et ideirò habebant omnia, quæ habent rotæ veræ et rotabiles, scilicet suos axes, radios, canthos et modiolos. Modiolus in rotâ vocatur ipse nodus, sive centrum rotæ, ex quo oriuntur radii, qui inde perducuntur ad canthum, id est, ad peripheriam, sive circumferentiam exteriorum rotæ. (Corn. à Lap.)

VERS. 35. — IN SUMMITATE BASIS ERAT QUÆDAM ROTUNDITAS DIMIDII CUBITI... UT LUTER DESUPER POSSET IMPOHI. Repetito sunt hæc versiculi 31, ubi profunditas hujus cavi continentis delvium, unius cubiti et semis assignata est, minime tamen excluso repando hoc labio superiore, dimidium cubitum dimittenti, quatinus hoc non exprimitur v. 31.

VERS. 36. — SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS ILLIS, QUÆ ERANT EX ÆRE, ET IN ANGULIS, CHERUBIM, ET LEONES, ET PALMAS. Eadem hæc repetuntur, quæ supra, in versiculis 28, 29. Adduntur palme, vel figuræ palmarum, superius ommissæ, ac vicissim onituntur imagines boum, superius expressæ. Laminæ et juncturæ basium distinguebantur ornamentis fusilibus, et opere sculptili, vel saltem anaglyphico, exhibentibus leones, Cherubim, palmas et boves. QUASI IN SIMILITUDINEM HOMINIS STANTIS. Tanquàm homo stans, tanquàm statua prominens

VERS. 37. — IN HUNC MODUM FECIT DECEM BASES. Ad hanc formam, et eodem artificio conflavit decem bases, quarum tanta erat in singulis, minutisque rebus similitudo, ut qui unam viderit, omnes omninò noverit.

VERS. 38. — FECIT QUOQUE DECEM LUTERES ÆNEOS. Quot erant bases, totetiam fuere luteræ, quorum illæ gratiâ conflatæ fuerant, de quorum altitudine nihil dicit, quia v. 31 dixerat fuisse sesquicubitalem, nunc quatuor cubitorum esse dicit, nempe quoad longitudinem, quæ in circulari corpore eadem est, quæ latitudo: ea porrò est, quam à labio ad labium linea diametralis metitur, quorum ea erat cavitas et amplitudo, ut quilibet illorum caperet bases quadraginta.

VERS. 39. — ET CONSTITUIT DECEM BASES, QUINQUE AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI (1). Non et expedita, et non tanquàm imago quædam picta vel cælata aliquid. Reddi potest Hebræus: *Secundum nuditatem hominis, vel, unumquodque in nuditate sua*; nativâ imagine singula, leo, bos, Cherubim, ut statum corporis, et naturalem figuram unumquodque referret. Hoc autem eò recidit, ut exprimat: Singula sculpturâ integra expressa. (Calmet.)

(1) VERS. 39. — QUINQUE AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI, ET QUINQUE AD SINISTRAM; MARE AUTEM POSUIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI. Dextera apud Hebræos usurpari solet pro meridie, sinistra pro septentrione, juxta statum hominis ad orientem versi. Quinque igitur luteræ cum basibus suis statuit ad septentrionem aditus templi, non intra sacrum locum, neque in vestibulo, sed inter templum et altare holocaustorum, in atrio sacerdotum, quod et atrium interius appellabatur. Destinabantur hæc labia in usum lavandi victimas in holocaustum offerendas, cultros, et alia instrumenta, quorum erat usus in sacrificiis, uti et purgandi partes victimarum, ut coquerentur quæ elixatæ comedendæ erant. Sacerdotes in mari æneo lavabantur. Vino abstinebant in templo, sed in usum potûs habebant facillè aquas fontis, vel cisternæ, utpote frigiliores, quàm quæ in luteribus continebantur.

Habebant pagani ante januas templorum suorum positam aquam lustralem ad eluendas manus, ut puri ad sacrificia accederent. Satis erat interdum aspergere adstantes madido lauri, vel oleæ ramo.

Spargit et ipse suos lauro rorante capillos, Incipit et solita fundere voce preces.

Virgilius:

*Idem ter socios pura circumtulit undâ,
Sargens rore levi et ramo felicitis olivæ.*

Lustrationibus hæc sacrum apud Judæos ritum imitari voluisse dæmonem, asserit S. Justinus Mar. yr. Apologiâ 41. Christiani verò ab ejusmodi proanis superstitionibus adeò abhorrebant, ut memorie proditum sit, Valentianum, antequàm ad imperium eveheretur, eum fortè semel in delubrum quoddam cum imperatore venisset, unâ cum sociis caeteris lustrarii aquâ à sacerdote aspersum, ægrè adeò casum